

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0682

0680

0686

0676

0691

0671

0731

0631

0781

0581

0181

Ende

Anfang

109

in Chayro. Et illi duo sunt subordinati, et minor recipit stipendum a majore, major autem extorquet ea a peregrinis. Et quando illi Trutschelmanni sunt recti et probi, bene stant peregrini; sed quando secus est, tunc sunt peregrini perdit, sicut patet in processu. Major Trutschelmannus de Jerusalem, Sabathytanco, erat homo longus, senex, dives, et multum de claris moribus, peregrinis durus in continua ductione et gravis in pecuniarum mulctatione, et non satis bene tenuit compactata et in multis promissis cessit; satis fideliter tamen nos defendit, et in quibus eum invocavimus, diligenter adjuvit. Calinus vero minor de Jerusalem, Elphahallo, erat vir senex, credo plus quam octogenarius, simplex et rectus Sarracenus, et multa pollens morali virtute, illius autem erroris fuit, quod credidit, omnes homines salvari posse in ea fide, in qua nati sunt, si illam integrum servarent, et ab ea fide apostatas omnes dixit esse damnundos, ideo Mamaluccos suae fidei, a fide Christi apostatas, damnavit, et omnes orientales Christianos dixit esse damnundos, pro eo, quod gentilibus essent conformes et confoederati regibus eorum. Similiter Judaeos inter eos viventes. De fide nostra et salute magna sensit, sed credidit, si ipse suam fidem derelinqueret, in fide nostra salvari non posset, sicut nec credidit, Christianum apostamat in sua fide posse salvari. De his saepe contuli cum eo, scivit enim lingam italicam et corruptum malum teutonicum, quod didicerat a peregrinis, cum quibus XLVIII vicibus per desertum ad montem Synai transivit, et tanto affectu Christianis transmarinis afficitur, quod vitam suam cum illis perderet, immo, pro eis se mortis periculis exponit, quia, cum sit senio confectus et in genitalibus ruptus, cum peregrinis tamen deserta pertransit, nullius praemii intuitu, sed ut sit cum eis. Ingens sibi cura est, quomodo peregrini post suam mortem possint duci per desertum et per illas regiones. Sed et mihi ipsi cura est, et mortem ejus horreo, sicut et mortem fratris Johannis, de quibus vide fol. 183 B.

Calinus ille fuit quondam Viennae apud Imperatorem Fridericum III. et Romae apud Papam Nicolaum V., quod sic accidit. Quodam anno milites per desertum duxit, inter quos erat unus potens miles alemannus, qui virum tenerrime dilexit,

